Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

sub deucalione et incendium sub fetonte circa tempora moysi et sub eo hercules antheum vicit. Erictonius filius vulcani currum troilum primus quadrigam iunxisse ferunt. Egyptus que prius in efferem post aeria ab egipto rege sub in so egiptus dicta est. Lacedemon filius semeles condidit lxana tropalesum. epidaurus condita et corinthus que prius effira. Isis secundum quosdam ex theleno epaphum genuit qui memphim condidit cum in secunda egipto regnaret. Hanc determinans dominus plagam que restabat ait Ingrediar egiptum et morietur omne primogenitum a primogenito pharaonis usque ad primogenitum ancille que est ad molam. Etiam primogenita pecorum. Apud vos vero nec muttiet canis et petetis vasa preciosa ab egipciis et dabunt vobis.

o– alias mestrazi

– lacedemoniam

Hiis usibus decem plagas egipti collige. prima rubens unda. ranarum plaga secunda. Inde culex tercia est post hec musca nocentior ista. Quinta pecus stravit vesicas sexta creavit. Pone subit grando post hec bruchus veniente nephando. Nona tegit solem prima necat ultima prole.

De agno paschali et diebus azimorum

Iterum dixit dominus ad moysen Mensis iste erit vobis primus in mensibus anni. hic est aprilis id est lunacio aprilis que in marcio sepius inchoat. Hic dicitur ab hebreis nisan ab egipciis parmuthi ab macedonibus xanticus. voluit quippe dominus iudeos a ceteris nacionibus differre sicut religione et caractere circumcisionis. ita et tempore. Romani enim ex tradicione nume pompilii primum ponunt ianuarium quia tunc incipit sol ascendere post solsticium yemale. Arabes inchoant annum post solsticium estivum. Congruencius videtur fieri ab hebreis in marcio in quo et mundus conditus legitur. In aprili quoque cerimoniali differunt a nobis in temporali convenit nobiscum et dicit nobis. Decima die mensis huius tollat quisque domus agnum vel si non potest agnum saltem edum. quod et si non sufficiat numerus domus ad esum agni assumet de domo vicina domui sue iuncta iuxta numerum animarum que sufficiat ad esum agni et erit masculus anniculus id est unius anni sine macula non quidem velleris sed corporis. quod in levitico determinatur. si cecum fuerit. si fractum et cetera. et sumptum de grege servabitis eum in domo usque ad quartam decimam lunam et immolabit eum omnis multitudo filiorum israel quaeque domus seorsum ad vesperam et tingetis cum fasciculo ysopi utrumque postem et superliminare sanguine edetis carnes nocte illa assas igni non coctum quid de eo aqua aut crudum id est semicoctum ex festinacione et azimos panes cum lactucis agrestibus quarum amaritudo amaritudinis servitutis memoraret in sempiternum. Caput cum intestinis vorabitis et pedibus siquid residuum fuerit igne comburetis. quia ut ait Ioseph cremari sursum ferri sonat et elevacio ignis elevacionem ab eis pestis que vastavit egipcios significavit. Non comedetis in circuitu usque. De modo etiam comedendi ait Renes vestros accingetis calciamenta habebitis in pedibus vestris tenentes baculos in manibus. os non frangetis nec de carnibus foras mittetis. et comedetis festinanter. est enim phase id est transitus domini. Dicta est autem nox illa transitus quia in ea transivit angelus egipti percuciens primogenita ab homine usque ad pecus et transivit super tecta hebreorum limita sanguine. Et quia aggressus est israel iter transeundi de egipto item quia ait dominus Diem hanc habebitis solempnem et in monimentum in generacionibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azima comedetis prima dies erit sancta et venerabilis similiter et septima. Nichil operis facietis in eis. exceptis hiis que ad vescendum pertinent. Patet quod mediis diebus poterat operari etiam ex hoc patet quod sabbatum erat eis solempnius quovis festo quantum ad opera in quo non ad vescendum licet operari. Inde potuit esse quod mulieres in ipso die solempni pasche potuerunt parare unguenta ad ungendum dominum quod sabbato non licuisset. In ezechiele festum in prima die aprilis et in septima legitur quod non hic. Et egressi filii israel fecerunt sicut preceperat dominus moysi et aaron et congregati sunt quartadecima luna in finibus egipti circa ramessen. Tamen

Per decima luna in nuit quod agnus quem tollebat significabat aliquid et nunc Sic enim dicitur quartadecima luna quarta die creata quia fuerit prima dies mundi undecima et annum mundum decima ~~aiunt quidam quod~~ Sic ergo etiam fuit luna cum annum mundum intelligunt xma non annum mundum fuit aliud non etiam aiunt quidam quod x capita erat iesu unius anni

o– alias diem

o– alias tangetis

Ut autem aiunt quidam decem capita erant iesu huius agni pharao vel egiptus que decem plagis verberatus non cessit. solo sanguine agni victa filios israel dimisit.